

OUTBREAK OF THE SECOND MACEDONIAN WAR (200 B.C.) (31.5-8)

King Philip V of Macedon had aided the Carthaginians during the 2nd Punic War. Rome fought a desultory war with Macedon (the 1st Macedonian War) from 214-205 B.C. After the defeat of Carthage, Rome turned its eyes East with the thought of evening old scores. The Second Macedonian War (200-196 B.C.) was decisively settled in Rome's favor at the Battle of Cynoscephalae in Thessaly, where the Macedonian phalanx was destroyed by Roman legions.

1 [5] Anno quingentesimo quinquagesimo primo ab urbe condita, P. Sulpicio Galba
2 C. Aurelio consulibus, bellum cum rege Philippo initum est, paucis mensibus post
3 pacem Carthaginiensibus datam. Omnium primum eam rem idibus Martiis, quo die
4 tum consulatus inibatur, P. Sulpicius consul rettulit senatusque decrevit uti
5 consules maioribus hostiis rem divinam facerent quibus diis ipsis videretur cum
6 precatione ea: “Quod senatus populusque Romanus de re publica deque ineundo
7 novo bello in animo haberet, ea res uti populo Romano sociisque ac nomini Latino
8 bene ac feliciter eveniret”; secundum rem divinam precationemque ut de re publica
9 deque provinciis senatum consulerent.

10 [6] P. Sulpicio provincia Macedonia sorti evenit isque rogationem promulgavit,
11 “vellent iuberent Philippo regi Macedonibusque qui sub regno eius essent, ob
12 iniurias armaque inlata sociis populi Romani bellum indici.” Alteri consulum
13 Aurelio Italia provincia obtigit. Praetores exinde sortiti sunt C. Sergius Plautus
14 urbanam, Q. Fulvius Gillo Siciliam, Q. Minucius Rufus Bruttios, L. Furius
15 Purpurio Galliam.

16 Rogatio de bello Macedonico primis comitiis ab omnibus ferme centuriis antiquata
17 est. Id cum fessi diuturnitate et gravitate belli sua sponte homines taedio
18 periculorum laborumque fecerant, tum Q. Baebius tribunus plebis, viam antiquam
19 criminandi patres ingressus, incusaverat bella ex bellis seri ne pace unquam frui
20 plebs posset. Aegre eam rem passi patres laceratusque probris in senatu tribunus

21 plebis et consulem pro se quisque hortari ut de integro comitia rogationi ferendae
22 ediceret castigaretque segnitiam populi atque edoceret quanto damno dedecorique
23 dilatio ea belli futura esset.

24 [7] Consul in campo Martio comitiis, priusquam centurias in suffragium mitteret,
25 contione advocata, “ignorare” inquit “mihi videmini, Quirites, non utrum bellum
26 an pacem habeatis vos consuli — neque enim liberum id vobis Philippus permittet,
27 qui terra marique ingens bellum molitur — sed utrum in Macedoniam legiones
28 transportetis an hostes in Italiam accipiatis. Hoc quantum intersit, sin unquam ante
29 alias, proximo certe Punico bello experti estis. Quis enim dubitat quin, si
30 Saguntinis obsessis fidemque nostram implorantibus impigre tulissemus opem,
31 sicut patres nostri Mamertinis tulerant, totum in Hispaniam aversuri bellum
32 fuerimus, quod cunctando cum summa clade nostra in Italiam accepimus.

* * *

33 Macedonia potius quam Italia bellum habeat: hostium urbes agrique ferro atque
34 igni vastentur. Experti iam sumus foris nobis quam domi feliciora potentioraque
35 arma esse. Ite in suffragium bene iuvantibus divis et quae patres censuerunt vos
36 iubete. Huius vobis sententiae non consul modo auctor est sed etiam di immortales,
37 qui mihi sacrificanti precantique ut hoc bellum mihi, senatui vobisque, sociis ac
38 nomini Latino, classibus exercitibusque nostris bene ac feliciter eveniret, laeta
39 omnia prosperaque portendere.”

40 [8] Ab hac oratione in suffragium missi, uti rogaret, bellum iusserunt.